

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

IV.  
A 161.

29. #





~~P. VIII. 9.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

IV A 161. VITEBERG.

SIGNAT. clōlōCCCCXIII.





#

S

Lapidis Pumicis, ʒ ij. Himstein ein ganz Quintl:

Ossis Seped<sup>e</sup> Fischbein:Lapidis Pumicis <sup>Spongia</sup> an: ʒ i. Schwemstein jedes ʒ Quintl:

Coralli rubei ʒ ij. Rote Corallen i. scrupel:


Cornu Cerui usti ʒ i. Gebrant Hirschhorn ʒ Quin:

Aluminis usti ʒ i. Gebrante allum ʒ Quintl:

Rad: Ireos ʒ iij. Feilchen wurtzel ʒ. scrupel:

W









LIBELLVS

Artificioſæ memoriæ,  
IN VSVM STV.  
DIOSORVM GOL.  
LECTVS,

*Autore*

Ioanne Spangenbergio

apud Northuſos verbi  
Ministro.



---

ANNO 1588.





IN COMMENDATIO-  
nem artis memoriae, IOANNIS  
SPANGENBERGII Herdessiani.



*Ordine si veras cupias errare per artes,  
Et cupias ne te deuius error agat.  
Si cupias studij iustos decerpere fructus,  
Largaq; de grato semina ferre solo.*

*Hos SPANGENBERGI blandos circumspice flo-  
Ille etenim varias continet hortus opes. (res.)*

*Hos benè puberibus flores si noris in annis,  
Legeris & cauta talia dona manu.*

*Omnigenas artes secura per otia disces,  
Et fies docti pars bona & ampla chori.*

*Non tantas Pactolus opes, non educat Hebrus,  
Hic quantas grata fert breuitate liber,*

*Cum possis artes certo duce discere nixus,  
Cur potius dubijs passibus ire velis?*

*Ordine peruenimus, quo non licet ire labore,  
Ordo virum tollit, deprimit ordo virum.*

Iohan: Gigas  
Northufanus.





P I O A C E R V D I  
T O V I R O M . A N D R E A E  
ERNST Northufano, compatri  
fuo charifs. S. D.

**H** Is diebus Caprificis, suauissime  
Compater, dum ferè omnes in deo  
metendis & conuehendis frugi-  
bus operam darent, hanc artificiosæ me-  
morie lucubratiunculam ex probatis au-  
toribus vtcunq; decerpsi, & in hanc epito-  
men collegi. Quam vt grati animi signum  
aliquod commonstrè, tuæ humanitati de-  
dico. Nõ quod eruditioni tuæ aliquid hinc  
magis accessurum putem, sed vt chariss.  
meus compater Conradus Conradi Erne-  
sti fratris tui optimi viri optimus filius,  
cæteriq; germanorum tuorum bonæ indo-  
lis pueri habeant per te hunc libellum, quo  
ingenia sua excolant, & exculta omnium  
disciplinarum genere fœcundiora reddant.  
Quantũ enim vtilitatis hæc disciplina ad-

A 2 terat,



P R A E F A T I O.

ferat, apud Ciceronem eloquentiae parentem, & Quintilianum autorem non spernendum videri potest. Vtrique copiose & multis nominibus hanc artem euehunt. Ego vt verum fatear, à teneris annis hoc studij genere vehementer affectus sum, sed nunquam dabatur praeceptoris copia. Itaque anno à Christo nato millesimo quingentesimo primo, dum Gotingi primus literarum rudimentis operam darem, ipse periculum feci, si quid ea in parte possem. Tentavi, & res profecto feliciter cecidit. Comparavi mihi locos aliquot in templo diui Iohannis, quos adhuc mihi seruo, in quos, cum opus est, imagines iuxta materiam memorandam colloco, & memorata sine negotio recito. Tu igitur, suavis Pater, hoc munus grato suscipe animo. Quod licet exile videatur, tua tamen commendatione apud studiosos, in quorum usum haec qualiacumque scripta sunt, maiorem accipiet dignitatem. Vale, & me germanis tuis commenda,  
 Northusen 1539. Calendis Augusti.  
 Iohannes Spangenberg



## Quid est Memoria?

**E**st comprehensio eorum, quæ præterierunt, quorum adhuc aliquid præsens sensu detinetur. Vel: Est retentio & possessio atq; conservatio eorum, quæ anima nostra percepit. Vel: Est quoddam nature munus, quo omnis disciplina constat & augetur. Vel: Est omnis humana doctrinae reservaculū. Hinc à Quintiliano thesaurus eloquentiæ appellatur.

Quotuplex est memoria?  
Duplex, Naturalis & Artificiosa.

Quæ est memoria naturalis?

Est, quæ animis nostris insita est, & simul cum cogitatione nata sine artis introductione. Hanc Quintilianus in pueris laudat. Sic enim ait: Præcipuum ingenij signum in pueris memoria est. Eius duplex est virtus, scilicet facile percipere & fideliter continere.

Potest ne naturalis memoria esse perfecta?

Nemo mortalium eam unquam habuit, aut habebit perfectam. Quanto enim naturalis memoria est hebetior, tanto ad artificiosam imbecillior.

A 3 Contra



Cōtrà quanto naturalis est vegetior, tanto ad artificiosam expeditior. Quemadmodum enim ex natura primùm mediocriter pingentes, arte præcepta crescunt in egregios pictores: Ita qui naturali pollent memoria, arte præcepta mirabilem consequuntur memorandi virtutem. At enim Cicero: Memoria non solum à natura proficiscitur, sed etiam habet plurimum artis & industria. Et rursus: Qui hanc partem ingenij exercent, locos esse capiendos, & ea quæ maximè memoria tenere velint effingenda animo, atq; in ijs locis collocanda, sic fore, ut ordinem rerum locorum ordo servaret, res autem ipsas rerum effigies notaret.

### Quæ est memoria artificiosa?

Est quam confirmat inductio quedam & ratio præceptionis. Vel: Est dispositio imaginaria rerum sensibilium in mente, super quas memoria naturalis reflexa commouetur & adiuuatur, ut prius apprehensa facilius, distinctius & diutius valeat recordari.

### Ad quid valet artificiosa Memoria?

Ad duplicem retentionem, permanentem scilicet & transitoriam. Reten-



Retentio permanens est, per quam aliquam scientiam ordine traditam perpetuò memoria commendamus.

Retentio transitoria est, per quam Doctor lectionem aut disputationem, Concionator concionem, aduocatus causam suam ad modicum tempus memoria commendat.

Quot accidunt Memoriae?

Corruptio, Diminutio, & Ablatio. Aliquando enim corrumpitur memoria, aliquando diminuitur, aliquando penitus aufertur. Corruptur, quando species rerum praeuitarum obliuiscimur. Diminuitur, quando accedunt passionibus, aegritudines & certi morbi. Aufertur, quando vehementer laeditur cerebrum aut aliqua eius pars.

Quis fuit inuentor artificiosae memoriae?

Simonides. Sic enim ait Cicero lib. 2. de Oratore. Simonides cū cœnaret Granonæ in Thesalia apud Scopam fortunatum & nobilem hominem, ferunt, nunciatum ei ut prodiret, iuuenes stare ad ianuam duos quosdam, qui eum vocarent, surrexisse illum ipsum, prodisse, vidisse neminem. Hoc interim spacio conclauē illud, ubi epularetur Scopas, concidisse.



5 DE ARTIFICIOSA

Ea ruina ipsum oppressum cum suis interyisse, quos cum humare vellet sui, nec possent obtritos internoscere villo modo, dicitur Simonides, ex eo quod meminisset, quo eorum loco quisq; cubuisset, demonstrator vniuscuiusq; sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus inuenisse fertur, ordinem esse maximè, qui memoria lumen adferret.

Qui fuerunt huius artis memoriae studiosi?

Simonides hanc artem primus excogitauit, qui cum Themistocli eam artem obtulisset, dixit, Obliuionis malle, nam multa memoro quæ nollem, obliuisci non possum quæ vellem. Hunc Themistoclem tradunt hac arte intra annum optimè locutum esse Persicè. Mithridatem verò viginti duas linguas calluisse.

Crassum illum diuitem, cum Asia præesset, quinq; Græcorum linguas sic tenuisse, vt quæ quisq; apud eum lingua postulasset, eadem ius sibi redditum ferret.

Cyrus dicitur hoc studio omnium militum tenuisse nomina. Seneca testatur, se adiutorio huius artis in vna lectione Magistri sui dua millia



millia vocabulorum memoria commendasse,  
 quæ lectione finita, eo ordine, quo dicta erant,  
 & retrogrado memoriter recitavit.

Cyneas missus à Pyrrho legatus ad Roma-  
 nos, postero die novus homo & Senatum &  
 omnem circumfusam plebem suis nominibus  
 salutavit.

Carneades plurimum in hac arte valuit,  
 plurimum & Metrodorus, plurimum & Cice-  
 ro, qui hac arte nomen suum adeò insigne  
 reddidit, ut à plerisque doctissimis viris aureū  
 eloquentiæ flumen sit appellatus.

Nostro seculo consummatiss. fuit in hac arte  
 Clariss. vir Petrus Ravennatus, utriusq; Iuris  
 Doctor. Deinde M. Iohannes Cusanus, & alij.

Quis est effectus memoriæ?

Res vetustas, ut Quintilianus ait, ex longo  
 intervallo repetitas rursus reddere & offerre.  
 Nōne, inquit, hac mira varietas est memoriæ,  
 excidere proxima, inherere vetera, hesternorū  
 a oblivisci, exacta pueritiæ recordari?

Quis est fructus memoriæ?

Tenere quæ didiceris, quæ ipse cogitaris  
 omnes fixas esse in pectore sententias. Omnē  
 de.



descriptum verborum apparatus ita audire, vel eum unde dicas, vel eum cui respondendum sit, ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere. Itaque qui memoria vigent, ij sciunt, quid & quatenus & quomodo dicturi sint, quid cui responderint, qui supersit, ijdemq; multa ex alijs causis aliquando à se acta, multa ex alijs audita meminerunt. Vidit enim hoc prudenter Simonides, ea maximè animis effingi nostris, quæ essent à sensu tradita atq; impressa. Hæc Cicero.

Distant ne intellectus, ratio, sensus, opinio & memoria?

Maximè. Intellectus res concipit & apprehendit, Ratio discernit, memoria tenet & conseruat. Item sensus est presentium, opinio futurorum, memoria præteritorum.

Quid obstat Memoriam?

Vsus literarum. Nam quæ scriptis reposuimus, velut custodire desuimus & securitate dimittimus, teste Quintiliano.

Quibus rebus constat artificiosa memoria?

Sicut



Sicut tabula constat cera & literis: Sic Memoria artificiosa constat locis & imaginibus. Loci sunt tanquam charta vel tabula, quibus res inscribuntur. Imagines sunt characteres & similitudines rerum, quas memorie commendare volumus. Utimur ergo locis pro cera & imaginibus pro literis. Imagines sicut litera delentur, Loci ut cera remanent. Quemadmodum enim qui literas sciunt, possunt id, quod dictum est, scribere, & ea, quae scripserunt, recitare: ita qui multa didicerunt, possunt hac arte, quod audierunt, in suis locis collocare, & ex ijs memoriter pronunciare. Breuiter sicuti locis pro cera, sic simulacris, hoc est, Imaginibus, pro literis utimur, teste Cicerone.

DE LOCIS.

Quotuplicia sunt loca?

Duplicia, naturalia & arte fabricata, hoc est, Locorum quaedam constituit natura, quaedam excogitantur ingenio.

Quae sunt loca naturalia?

Montes, prata, agri, syluae, rupes, valles, stagna, fluy, & his similia. His raro utimur.

Quae



Quæ sunt loca arte fabricata?

*Hæc sunt in triplici differentia. Quædam sunt loca maxima, ut Monasteria, Collegia, Tempia, domus. Quædam maiora, ut Cubilia, Triclinia, Refectoria. Quædam minora, ut parietes, anguli, fenestra, ianua.*

Quid de locis coelestibus sentiendum?

*Quintilian. de Metrodoro ait: Habeat sibi sua loca, nos simpliciora tradimus. Hic enim Metrodorus habuit 360. loca in duodecim signis circuli zodiaci. Sed vanitas fuit atq; iactatio, circa memoriam suam arte potius, quam natura gloriantis.*

Quid autem de locis imaginarijs?

*Loca imaginaria prohibentur incipientibus. Non enim debemus imaginationem addere imaginationi.*

Quid verò de locis triangularibus?

*Loca triangularia sunt inutilia, propter notationem quinti loci.*

Quibus ergo locis utendum est?

*Locis multis, illustribus, explicatis, modicis, intervallis.*

Da



## Da conditiones locorum?

## P R I M A.

Plures loci esse debent, ut plures imagines collocare possimus, locis abundare oportet, ait Cicero, qui multa voluerit meminisse, multa sibi loca comparet. Oportet multos comparare locos, ut in multis locis multas imagines collocemus.

## S E C V N D A.

Loca inter se non sint nimium vicina, aut nimium distantia. Vicinitas enim locorum memoriam turbat, nimia distantia promptitudinem memoriae impedit. Porro sicut nimia dilatatio, ita nimia compressio nocet. Cavendum igitur, ne nimium dilatata, fusa ac vaga, incerta, anceps & ignara mens fluctuet. Quod ne contingat, oportebit loca, que sumseris, egregie notare, ut perpetuo nobis haerere possint.

## T E R T I A.

Loca non sint nimis lucida, neq; nimis obscura, ne tenebris hebetentur, aut nimio splendore memoriam turbent.

## Q V A R T A.

Loca sint optimè nota. Notitia locorum  
neces



necessaria est, ex memoria enim locorum dependet imaginum memoria.

## QVINTA.

Loca non sint nimis alta & sublimia, sed ut homines pro imaginib. positi loca tangere possint.

## S E X T A.

Loca sint in parte quieta, quantum fieri potest, sita, ut re & nomine possint imaginum rationi correspondere.

## S E P T I M A.

Locorum similitudo vitanda est. Sic enim ait Cicero: Si quis multa intercolumnia sumserit omnino similia, turbabitur similitudine, ignorabitq. quid in unoquoq. loco posuerit.

Accidentalis loci differentia causat bonam dissimilitudinem unius loci, maioris ab alio, ut videri potest in duabus ianuis, quæ vel per magnitudinem, vel per colorem, vel per positionem differunt.

## O C T A V A.

Loca debent esse ordinata. Quidam putant, in arbitrio esse locantis, incipere à dextra vel sinistra: Sed Capnio & Rauennas consueverunt, locos ordine locatos à sinistra recensere ad dextram.

Nona



## NONA.

Quintus locus signandus est, sitq; quinarium  
 vnus distinctus ab alio, ita vt in primo qui-  
 nario ponatur crux aurea. In secundo manus  
 argentea. In tertio rosa purpurea. In quarto  
 liliū &c. Quintilianus. & Cicero quintum  
 quemq; locum notandum commemorant, quod  
 nobis aulas aut cubilia intrantibus facile fiet.  
 Quinti ergo loci minoris signatio utilis est.  
 Nam dum quintum locum egregie signabi-  
 mus, locorū numerum in promptu habebim⁹.

## DECIMA.

Loca à nobis constituta ter aut quater in  
 mense repetantur, vt eo fortius impriman-  
 tur. Repetitio enim locorum nullo precio emi  
 potest. Loci debent nobis esse presentissimi,  
 quod nullo pacto fieri potest, nisi per eorum  
 frequentem & assiduam meditationem. Hinc  
 Mantuanus dixit: Sape recordari medica-  
 mine fortius omni.

## DE IMAGINIBVS.

Quid sunt imagines?

Sunt notæ & formæ quædam & similitu-  
 dines earum rerum, quas meminisse volu-  
 mus. Harum autem quædam sunt firmæ, &  
 admo.



ad monendum idoneæ, ut sunt res magnæ, incredibiles, inuisæ, inaudita, nouæ, raræ, admirabiles, habentes singularem vel venustatem vel turpitudinem, vel quæ sunt ridiculæ vel desolendæ. Quædam sunt infirmæ & imbecilles, quæ vix excitare memoriam possunt, ut sunt res parvæ, vsitata, quotidiana. Nam iuxta naturam, quanto res animum nostrum minus commouerit, tanto citius labitur ex memoria. Contra, quanto fortius mouerit, tanto diutius & firmitus memoria permanebit impressa.

Quotuplices sunt imagines?

Duplices, Rerum & Vocum.

Res sunt duplices, Visibiles & Inuisibiles. Corporales & Incorporales. Corporalium aliæ substantiæ, aliæ accidentiæ.

Voces similiter sunt duplices, quædam notæ, quædam ignotæ.

Imaginum aliæ sunt simplices, ut dictionum, aliæ compositæ, ut sententiarum.

Quæ sunt imagines dictionum?

Quando unaquæq; dictio figuratur speciali imagine, ut Homo, equus, asinus, suas habent imagines.

Quæ



Quæ dicuntur imagines  
sententiarum ?

Quando rem gestam aut orationem ex pluribus dictionibus compositam, aut totam sententiam, historiam, fabulam vel carmen, vna imagine vel pluribus comprehendimus, ut qualibet plaga Aegypti habet suam imaginem, vel ranas vel locustas.

Memoria syllabarum est curiosa & inutilis.

De Conditiones imaginum.

I. Omnis imago debet esse mirabilis, iucunda, ridicula, crudelis, aut alia insigni passione adfecta. Tales enim imagines plus monent memorantem & fortius imprimuntur.

II. Imagines non debent esse ociosæ. Quæ enim exercitio carent, parum vel nihil monent.

III. Imagines debent esse propriae, ut rem memorandam representent. Hinc dissimilitudo imaginum vitanda est.

IIII. Multæ imagines non debent esse in vno eodemque loco. Generant enim confusionem. Multæ tamen imagines vnâ rem significantes, possunt poni in vno loco, ut pro bello, plures homines bellantes.

B

V. Ima-



V. Imagines inuenta sunt propter res memorandas, sicut loca propter ordinem.

VI. Imagines debent saepius repeti, ut eò firmitus imprimantur. Debilitas enim impressionis impedit memoriam.

VII. Cum ad quinarium perueneris, repete in eo locata. Et cum ad denarium perueneris, ambos quinarios repete, ut supra dictum est de locis.

VIII. Si materia locata amplius uti nolueris, omnes imagines locatas dele. Non repeta enim delentur & pereunt.

Tantum de locis & imaginibus.



De Praxi



16  
DE PRAXI AR-  
TIS MEMO-  
riae.

Quo pacto locanda est ma-  
teria memoranda?

*Omnis dictio vel materia memoranda  
locetur aut per:*

*Similitudinem,  
Comparisonem,  
Figmentum,  
Inscriptionem,  
Colligantiam.*

*Sic enim scribit Quintilianus: Opus est  
locis, quae vel finguntur, vel sumuntur ima-  
ginibus, vel simulachris, quae utiq; fingenda  
sunt. Et rursus: Sensus non eandem imagi-  
nem, quam res, habent, cum alterum fingen-  
dum sit. Et rursus: Quaedam nullis simula-  
chris significari possunt, ut certa coniuncti-  
ones &c.*

B 2 Genera



GENERALIS PARTITIO DITIONVM.

<p>Omnis dictio aut est</p>	<p>{</p>	<p>Ignota, hac locatur vel per figmentum, vel inscriptionem.</p>
		<p>Nota, aut</p>
		<p>est res</p>
		<p>{</p>
		<p>Inuisibilis, hac locatur per figmentum, aliquando per inscriptionem, aut per comparationē, ut iustitia.</p>
		<p>Accidens, hac locetur per suum subiectū principalius, ut albedo per niuem, lilium per cretam, nigredo per coruum, carbonem.</p>
		<p>Sub-</p>
		<p>stantia</p>
		<p>{</p>
		<p>vel est</p>
		<p>{</p>
		<p>Inanimata, ut lapis, securis, hac lo-</p>
		<p>cetur per personam agentem ali-</p>
		<p>quidcū tali re. Comune, hoc loce-</p>
		<p>tur per personā notā.</p>
		<p>Animata</p>
		<p>{</p>
		<p>vel est</p>
		<p>Proprium sic locetur</p>
		<p>{</p>
		<p>Nomen</p>
		<p>{</p>
		<p>Petrus cum clauib.,</p>
		<p>Paulus cum gladio,</p>
		<p>Iohannes cum calice.</p>





## DE SIMILITVDINE.

Quomodo locatur dictio per  
similitudinem ?

*Cum pro ea imaginem siue idolum in certo loco constituimus. Sic enim ait Quintilianus. Non est inutile, quò facilius hareant, aliquas apponere notas, quarum recordatio excitet memoriam. Nemo enim ferè tam infelix, ut, quod cuiq; loco signum destinauerit, nesciat, ut, si erit tardus ad hoc, eo quoq; adhuc remedio utatur, ut ipsa excitent nota. Hinc est ex illa arte non inutile attendere signa ad eos, qui exciderunt sensus, utpote ancoram, si de navigatione dicendum est, spiculũ si de prelio. Multum enim signa faciunt, & ex alia memoria venit alia, ut cũ translatus annulus vel alligatus, commoueat nos cur id fecerimus. Hæc magis adhuc astringunt, qui memoriam ab aliquo simili transferunt ad id, quod continendum est, ut in nominibus, si Fabius fortè sit tenendus, referamus ad illum cunctatorem, qui excidere non potest, aut ad aliquem amicum, qui idem vocetur.*

Quotuplex est Similitudo?

B 3

Duplex



Duplex, Rerum & verborum. Rerum similitudines exprimuntur, cum consummatim ipsorum negotiorum imagines comparamus. Verborum similitudines constituuntur, cum uniuscuiusq; nominis & vocabuli memoria imagine notatur. Rei totius memoriam sæpè una nota & imagine simpliciter comprehendimus.

Cum autem verborum similitudines imaginibus exprimere volumus, plus negotij suscipimus, & magis ingenium nostrum exercebimus. Facilius est rerum imaginatio, verborum autem difficilius. Oportebit igitur in hac secunda memoriam naturalem crebrò excuscitare, ut vocabulis positis ipsi nobiscum transeamus bis aut ter eundem versum seu vocabulorum ordinem. Deinde cum imaginibus verba exprimamus, Hoc modo natura suppetabitur doctrina.

Quales debent esse similitudines?

Sint similitudines multum nobis cognite. Et aliquid agentes cum insigni quadam nota, vel pulchritudinis, vel turpitudinis, aut certe ridiculi cuiusdam. Ad eas constituendas plurimum iuuare solent, quæ sequuntur.

Effictio



## Effictio corporum.

*Vt cum senem facimus tremulum, incur-  
uum, labijs demissis, canum.*

## Notatio affectuum

*Vt cum dicimus lupum voracem, lepo-  
res timidos. Sic læta iuuentus, tristis senectus,  
prodiga adolescentia, auara mulieres, libe-  
rales viri, pallida fames, & huiusmodi mul-  
ta.*

## Etymologia.

*Vt Philippus, amator equorum, Iacob sup-  
plantator.*

## Onomatopœia.

*Quando sumitur cognitio verbi à sono vo-  
cis, vt Tarantara, hinnitus equi, mugitus  
boum, rugitus leonum, bombitus apum, &c.*

## Rerum effectus.

*Cum cuilibet mensi officia sua assigna-  
mus, cuilibet diei suam Planetam vel Hebdo-  
mada exercitium.*

## DE COMPARATIONE.

Quomodo locatur dictio per  
comparationem?

*Cum pro ea locamus imaginem, propter ali-  
quam habitudinem, quam habent ad inuicem.*

Quoties fit hæc locatio?

B 4

Multis



*Multis modis, ut patet his versibus:*

*Causa, vel oppositum, simul instrumenta vel  
 Consimilis facient te meminisse rei. (actus,  
 Sic Sydus Veneris dicimus esse causam felici-  
 tatis. Panis ducit nos in cognitionem pistoris,  
 calceus sutoris. Nigrum ducit nos in cognitio-  
 nem albi. Pius in memoriam impij. Opposita  
 enim iuxta se posita magis lucent. Calamus  
 ducit nos in memoriam scriptoris, Rastrum in  
 memoriam agricolæ. Arare in memoriam ru-  
 stici. Docere in memoriam eruditi.*

## DE FIGMENTO.

Quo pacto locatur dictio per  
 figmentum?

*Cum rei memorande nec similitudinem  
 propriam, nec comparisonem conuenientem  
 habere possumus, ad vocalem similitudinem  
 nos conuertimus.*

Quoties fit hæc locatio?

*Trifariam. Primò, quando pro dictio-  
 ne ignota significante rem inuisibilem loca-  
 tur dictio nota significans rem visibilem, quæ  
 similis est in voce huic, pro qua ponitur, ut  
 quando*



quando pro prepositione palàm locamus palā instrumentum. Pro aduerbio hercle, Herculem. Pro verbo cano, canem. Pro aduerbio cras, coruum crocitantem.

Secundò, quando pro literis syllabæ aut syllabarum locantur imagines nominum ab istis literis incipientium, ut pro Coniunctione copulatiua &, pono Eusebium & Thomam aliquid agentes. Pro pronomine te, Thomam & Eusebiū. Pro verbo amo, Anthonium uoluentē molam. Pro verbo do, David dātem mihi ouum. Pro verbo emo, Eusebium adferentē monetam falsam.

Tertiò, quando pro literis alphabeti locantur imagines uiuæ nobis notæ, vel nominum communium vel propriorum.

## DE COMMVNIBVS.

Ut pro A asinus, pro B bos, pro C ceruus, D Dama, E equus, F formicarum multitudo, H hircus, L lupus, V ursus, &c.

## DE PROPRIIS.

Pro A Anthonius. B Benedictus. C Chryso-  
stomus. D Daniel. E Erhardus. F Franciscus.

B 5 G Gre



G Gregorius. H Hugo. I Ioannes. L Laurentius. M Matthias. N Nicolaus. O Othmarus. P Petrus. R Rochus. S Stephanus. T Tytus. V Vincentius &c.

Rauennas pro literis formosissimas puellas ponere solebat, ait enim hoc ipsum multum incitare memoriam. Sic enim inquit: Mihi crede, si pro imaginibus puellas pulcherrimas posuero, facilius & pulchrius recito, quæ locis mandauit. Et rursus: Si cito meminisse cupis, virgines pulcherrimas colloca: Memoria enim collocatione puellarum mirabiliter commouetur.

### DE INSCRIPTIONE.

Quo pacto locatur dictio per  
Inscriptionem?

Cum rei memoranda nec similitudinem propriam, nec vocalem, nec comparationem conuenientem habere possumus: Per literas tamen eandem designamus. Sic plures huic arti literas reales adiungunt, quæ multum valent imaginib. appensa seu tanquam nota iusta. Sic per instrumentorum similitudinem literarum imagines finxerunt, ut A Circinũ extensum. B ignarium ferrum. C cornu. D caput



caput tauri. E semirotulam. F gladium. G testudinem. I turrim. L normam. M tripodem. N portam. O nolam. P pedum episcopi &c. Sic quoque numerorum imagines finxerunt.

De colligantia siue catena.

Quotuplex est colligantia?

Duplex, Naturalis & Artificialis. Naturalis est, qua facile de uno in aliud mouemur, propter ordinem unius ad aliud. Sic ordo elementorum, si recte ponitur, ut terra, aqua, aer, ignis, facile reminiscitur. Sic plurimum inuat memoriam ordo in Grammatica, Dialectica, Rhetorica, & alijs disciplinis.

Artificialis est, quando secundum nostram considerationem vel imaginationem una imago se exercet cum alia. Huius enim artis peculiare officium est, ut excitet & moueat memoriam, Quare si res aliqua per se non mouetur, ponatur in manum alicuius motoris, ut sic ex motu illo naturalis memoria commoueat, ut si velis habere memoriam horum nominum, Petrus, flagellum, canis, sus, aqua, vermes, arena, fac talem colligantiam & imaginationem, ut Petrus flagello canem percutiat, canis vero verberere commotus, suem mordeat,

Sus



*Sus verò euadere cupiens, vas aqua euertat, in cuius fundo sint vermes procreati, qui te-  
gantur arena.*

Ad quid valet hæc colligantia?

*Vt sine cunctatione ac mora recensere va-  
leamus, quæ locauimus. Sic enim ait Quinti-  
lianus: Vt quamlibet multa sint, quorum me-  
minisse oporteat, fiât singula connexa quodã  
choro, ne errent coniungentes priorib. sequen-  
tia solo ediscendi labore.*

Quid vero sentiendum de locatione, quæ  
per casus fit?

*Rauennas ait, se in corpore humano ca-  
suum imagines inuenisse. Nempe vt caput sit  
nominatiuus, manus dextra genitiuus, ma-  
nus sinistra datiuus, pes dexter accusatiuus,  
pes sinister vocatiuus, pectus ablatiuus. Præte-  
rea pro numero singulari posuit aut puellam  
nudam, pro plurali verò, egregiè ornatam,  
aut illum, quem meminisse voluerit. Sed hæc  
videntur multis curiosa & parum commoda.*

## DE HISTORIARVM

locatione.

Quomodo locandæ sunt Historiæ?

*Qui*



Qui cupit locare Historias, caueat ne singula verba locet, hoc enim magis difficile est quam utile. Sic enim ait Quintilianus: Quomodo poterunt copulata fluere, si propter singula verba ad singulas formas respiciendum erit. Si longior complectenda memoria fuerit oratio, proderit per partes ediscere. Et hæ partes non sint per exigua, alioqui nimis multe erunt, & eam distinguunt atq; concident. Nec utiq; certum imperauerim modum, sed maxime ut quisq; finietur locus, ni fortè tam sit numerosus, ut ipse quoq; diuidi debeat. Dandi sunt certi termini, ut contextum verborum, qui est difficillimus, continuet crebra meditatio, partes deinceps ipsas repetitus ordo coniungat.

Volens igitur Historiam locare, prius eã legat, ut sanè intelligat, deinde consideret principaliora membra, in quibus tota vis historie consistit, eaq; in tot partes diuidat, quot opus & commodum fuerit. Et quamlibet partem sententiæ per unam imaginem locet, si fortè occurrerit Rhetoricum aliquod schema, aut aliud quid egregium & notatu dignum, poterit & illud suis imaginibus collocare. Collocata



locata verò bis aut ter secum repetat, donec animo infigantur. Cicero enim ait: In omni disciplina, infirma est artis præceptio, sine summa assiduitate exercitationis, tunc verò in memoria minimum valet doctrina, nisi industria, studio, labore, diligentia, comprobetur.

## DE ORATIONE SIVE concionum locatione.

Quomodo locanda est oratio siue concio, quam quis ex alio auditurus est?

Cum retinere volumus ea, quæ per alium audimus proferri, plures incidunt difficultates. Nam si is, qui loquitur, boni oratoris ordinem in dicendo seruauerit, facile poterimus audita memorie commendare, si verò fluctuans in dicendo ex principio orationis incidit in finem, & rursus ex fine in medium, deinde rursus in principium, hinc rectè difficile erit nobis, audita seruare.

Cum itaq; audimus benè narrantem, oportet tota mentis intentione suæ orationis partes, coherentias, & distinctiones notare, quod faciemus, si in principio totum animum nostrum applicuerimus, ut audiamus, per quid  
sumat



sumat exordium, quid deinde narret, si quid partiatur, quibus & quot utatur rationibus, argumentis, exemplis, confutationibus, deinde quomodo peroret. Hæc omnia oportet certis locis & imaginibus collocare, ut eò firmiter retineantur, tandem oratione vel concione finita debent hæc omnia bis vel ter transcurri & repeti, donec animo benè insideant.

Quomodo locanda est oratio vel concio,  
quam quis dicturus est?

Declamaturus primùm legat orationem aut concionem, ut sanè intelligat, deinde diuidat eam in aliquot articulos sine partes, & si opus fuerit subdividat quamlibet partem. Sicut enim confusa unio multorum est causa erroris & obliuionis: ita ordinata diuisio est mater intelligentiæ, & cōseruatricis memoriæ. Quintilianus ait: In ijs, quæ scripsimus, cōplectendis, & in ijs, quæ cogitamus, cōtinendis, multum valent diuisio & compositio. Nā qui rectè diuiserit, nunquam poterit in verum ordine errare, etiam quæ benè composita erunt memoriæ serie sua ducent. Nam sicut facilius versus ediscimus, quàm profam



profam orationem, ita profam vinc̄tam facilius quàm dissolutam. His omnibus ritè peractis, tribuat cuilibet parti suam imaginem, & in certa loca collocet, collocata bis terue secum repetat, donec animo tenacius hæreant.

Si autoritas aliqua, utpotè Augustini, Ambrosij, vel alterius alleganda est, poteris pro autore locare amicum huius nominis tibi notum, & dicto autoris tribuere imaginem, quæ sensum dicti representet. Quântitatem verò libri, distinctionis, quæstionis aut capitis imagines rerum, numerorum formas habentes, demonstrabunt, ut figura baculi ostendit unitatem 1, anseris 2, serpentis 3, zonæ retortæ 4, figura baculi silicernij 5, testudinis 6, tigni 7, ferti retorti 8, clauæ 9, figura baculi Iacobi cum concha ostendit 10. cornu venatoris centum C, corona imperatoris mille M.

## DE ARGUMENTO- rum locatione.

Quo pacto locantur argumenta?

Argumentationis potissima species est  
Syl-



*Syllogismus. Syllogismi igitur locatione bene cognita, facile quamlibet speciem argumentationis locare poterimus. Quando autem Syllogismus constituitur ex tribus propositionib., maiore scilicet, minore & conclusione, quidam Syllogisticum argumentum sic locandum putant, ut maior propositio in dextera, minor in pectore, & conclusio in sinistra manu locetur. Alij, quia vident in argumentorum memoria requiri promptitudinem, supervacaneum putant pro qualibet dictione propriam imaginem locare. Aiunt igitur, sufficere memoriam medij, cuius rationem adfert Aristoteles: Medium, inquit, est tota vis & virtus Syllogismi, exempli gratia: Quicquid peperit habet lac, mulier peperit, ergo mulier habet lac. Hic pro imagine totius Syllogismi poteris ponere mulierem lactantem puerum.*

## DE CARMINVM

locatione.

Quomodo locantur carmina?

*Carmina, versus, metra, duabus vijs possunt memorie commendari.*

C

Primo



Primò, via repetitionis. Quia enim carmina per se memoriam adiuuant, notata prima dictione, facile memoria possunt comprehendere. Et si adhuc difficultas apparuerit, possunt addi similitudines harum dictionum.

Secundo, via sententia, ut scilicet notetur sententia carminis, & pro illa imago suo loco collocetur. Deinde accedat frequens repetitio, tum ars multum iuuabit naturam. Carmina enim ex sui natura facilia sunt memoratu, ut ait Quintilianus.

Versus.

Metra iuuant animos, comprehendunt plurima paucis,  
Et benè commemorant, sunt hæc tria grata legenti.

## DE IUVAMENTIS memoriæ.

Quibus rebus adiuuatur memoria?

Multis, scilicet natura, arte, usu, ordine, vacatione & bona diæta.

Natura.

Bona enim complexio iuuat memoriam.

Hinc



Hinc sanguinei, sunt benè memoratiui, melancholici non ita. Sic pueri, agroti, senes, timidi, & ebrij quoq; sunt malè memoratiui. Porro qui prorsus carent naturali memoria & ingenio, frustra in hac arte sudant. Segnes verò & desidiosi, quamuis illustri pollent ingenio, & sat citò huius artis fundamenta concipiunt, cum tamen primo atq; altero die nō possunt esse magistri, mox è gremio librum projiciunt, atq; omnia contemnunt.

## Arte.

Cupiens huius artis habitum adipisci, curet in primis, ut plurimos habeat locos electos & arti accommodatos, deinde sumat imagines suo proposito conuenientes, nec prorsus consuetas, quia ea, quae sunt inconsueta, magis miramur & tenacius haerent. His ritè collocatis, sese exerceat quotidie. Quintilianus ait: Argumentum est, subesse artem aliquam, iuuarique ratione naturam, cum docti idem facere, illud indocti & inexercitati non possumus.

## Vsu &amp; exercitio.

Vsus & ars docuit, quòd sapit omnis homo.

C 2

Repe-



Repetitio quoque locorum & imaginum, imò  
 lectionum ipsarum valde utilis est. Horat. Le-  
 ctio lecta placet, decies repetita placebit. Et  
 Quintilianus. Aut si quis unam maximamque  
 à me artem memoriae quaerat, exercitatio est  
 & labor, multa ediscere, multa cogitare. Et, si  
 fieri potest, cotidie potissimum est. Nil aequè  
 vel augetur cura, vel negligentia interci-  
 dit. Quare & pueri statim, ut praecepi, quam  
 plurima ediscant, & quaecumque aetas operam  
 iuuanda studio memoriae dabit, deuoret initio  
 tedium illud, & scripta & lecta saepius re-  
 uoluendi, & quasi eundem cibum remanden-  
 di. Quod ipsum hoc fieri potest leuius, si pauca  
 primum, & quae tedium non adferant, expe-  
 rimus ediscere, tum quotidie adijcere singu-  
 los versus, quorum accessio labori sensum in-  
 esse menti non adferat, in summam ad infini-  
 tum usque perueniat.

### Ordine.

Ordo enim plurimum lucis adfert me-  
 moriae, & ordinata facile sunt reminiscibilia.  
 Hinc Aristoteles ait: Sicut duo sunt impe-  
 dimenta, quae naturalem memoriam impedi-  
 unt,



unt, scilicet ordinis confusio, & impressionis debilitas: ita duo quoque sunt iuamenta memoriae naturalis, scilicet positio locorum & imaginum sub ordine, & frequens meditatio.

### Vacatione & quiete.

Anima sedendo & quiescendo fit prudens, nota est sententia. Memoria enim vehementer distrahitur per continuam externarum rerum occupationem.

### Bona diæta.

Quæ constat interuallis studiorum, carentia adfectuum, conseruatione & victu.

### Studio.

Danda sunt ingenijs interualla, & ut Quintilianus ait: Danda est omnibus aliqua remissio, non solum quia nulla res est, quæ perferre possit continuum laborem, sed quod studium discendi, voluntate, quæ cogi non potest, constat. Itaque & virium plus adferunt ad discendum renouati ac recentes, & acriorem animum, qui ferè necessitatibus repugnat.



Hac quoque arte non est utendum in studio quotidiano, sed potissimum in studijs difficilimis & necessarijs, utpotè in disputationibus, in causis forensibus & concionibus.

Proinde studium matutinum, & antelucanum feliciter est, quàm diurnum & vespertinum, propter silentium, & quia animus liber est ab occupationibus externis. Hinc Quintilianus ait: Mirum dictu est, quantum nox interposita adferat firmitatis, siue quiescit labor ille, cuius sibi ipsa fatigatio obstabat, siue maturatur ac coquitur, seu firmissima eius pars est recordatio, quæ statim referri non poterant, contexuntur postero die, confirmatq; memoriam idem illud tempus, quod esse in causa solet obliuionis.

### Affectibus.

Affectus enim, ut sunt curæ, mæror, tristitia, timor, ira & huiusmodi, valde obfuscant memoriam.

Notæ sunt sententiæ poëtarum:

Curæ diminuunt animum.

Mæror & affectus alij de cardine mentem  
Sæpè leuant, animo sermo venit æger ab ægro.

Cato



Cato .

*Impedit ira animum, ne possit cernere verum,  
Obtundunt siquidem curarū pondere sensus.*

Conuersatione.

*Seneca inquit, cum his versare, qui te  
meliores facturi sunt, illos admitte, quos tū  
poteris facere meliores.*

Victu.

*Sobrietas enim cibi & potus maximè iu-  
uat memoriam, intemperantia contra & ebbri-  
etas impediunt. Hinc Quintilianus ait: Cer-  
tum est plurimum conferre memoriae bonam  
valetudinem, digestum cibum, animum co-  
gitationibus alijs liberum.*

Appendix .

*Quando autem memoria principium ha-  
bet à natura, & perfectionem ab arte, opera  
precium est addere ex Medicorum scriptis,  
quæ naturalia potissimum memoriam iuuant,  
& memorantem expeditiorem reddunt.*

C 4

Quo



Quæ diæta obseruanda est in arte  
memoriæ?

Quando corruptio memoriæ est à causa sicca, tunc valde utilis est diæta resumptiua cum suauitate vitæ: quando autem est à causa frigida & humida, erit habitatio eius in domo clara & munda, aër sit contrarius qualitati memoriæ ledenti, vitetur luxuria nimia, in ea enim quod utilius est in corpore dissoluitur, & expellitur scilicet calor naturalis & spiritus vitales, debilitatur enim cerebrum. Sperma enim est quiddam purum, à cerebro, corde & iecore diffusum, ut Medici tradunt,

Breuiter: Tàm simplicia quàm composita valent capiti & cerebro & virtuti animali, sensus corroborant & memoriæ confirmant, bonam quoque digestionem operantur, faciuntque hominem subtilia & alta speculari.

Quæ sunt nocumenta memoriæ?

Omnes qualitates primæ, quæ sunt inflatiuæ, nocent præsertim commestio vaporosorum, ut est sinapis, allium, cepe, caules frigida & alba, nimia fructuum frigidorum commestio. Acetosa multa nocent, nimius cibus & potus,



tus, praesertim ante somnum, somnus statim à prandio vel cœna. Dormire in calceamentis, nimius furor, ira, tristitia, & alij adfectus animi nocent.

Quæ sunt iuuamenta memoria?

Iuuantia memoriam, alia sunt simplicia, alia composita.

### Simplicia.

Vsus fructuum stipticorum assatorum, ut auellanarum, castanearum, praesertim post commestionem. Aues & cerebella auium maximè conueniunt, modoratum exercitium ante prandium. Expulsio superfluitatum per loca consueta & debita, gaudium temperatum, lotio pedum cum decoctione feniculi, melissæ, foliorum lauri, camomilli.

Lotio capitis semel in hebdomada cum lixiuio, in quo temperentur flores camomilli. Item salvia, melissæ, serpillum, betonica &c.

Conuenit etiam vsus Coriandri præparati, cimini præparati, zinziberis conditi, masticatio masticis cum zinzibere post esum, etiam ieiuno stomacho. Conuenit quoq; masticatio piperi, thuris albi, passulæ, mirabolani conditi, & ferè omnes species mirabolanorum.



Similiter omnia ingredientia confectio-  
nis Anacardina, & quæ ordinariè sequun-  
tur in recepto, possunt simpliciter & composi-  
tè uti ad confortandam & recuperandam  
memoriam.

### Composita.

Alia sunt medicine euacuatiue, alia con-  
fortatiue,

Euacuatiua sunt:

Pilula 5 specierum mirabolanorum.

Pilula de Hierapicra Galeni,

Pilula de Hiera Rufini,

Confectio Theodoricon,

Pilula Arabica, Pilu. sine quib. esse nolo.

Hæc omnia secundum quodlibet suam dosim  
euacuando superflua, conueniunt & pro-  
sunt capiti & memoria, visui & auditui  
quoq;

Confortatiua sunt.

Confectio Anacardina,

Dia cimini, Dia trion piperon, Dianthos.

Puluis valdè utilis.

Re. foliorum Ambrosiana, maiorana, sal-  
uia, betonica, melissa an. 3 ij. baccarum lauri  
seminis pæonia, seminis melissa an. 3 ij. seminis  
ozimi, cinamomi an. 3. i, ceduarie, cimini al-  
bi,



bi, carui in aceto buliti & exiccati, an. 3 i s.  
 cubeba, nucis muscata, maceros, gariophyl.  
 trium generum piperis, cardemoni an. 3 i, 33  
 albi & rasi, liqueritiae rasa an. 3 ij, mirabola-  
 norum citrinorum & Indorum an. 3 iij. thu-  
 ris, mastice an. 3 i, coriandri preparati 3 i s,  
 sacchari albi libram i. misce, fiat puluis.

Hoc puluere potes uti cum tosto pane an-  
 te & post cibum indifferenter, vel cum bro-  
 dio pulli, vel cum aqua melissae manè.

Puluis melissae valet manè cum vino  
 albo, vel brodio pulli ein halb quintel. auff ein  
 mal.

### Electuarium.

Ex puluere predicto poteris facere ele-  
 ctuarium, in modum confectiois Anacardi-  
 nae, addendo corticis citri conditi vel sicci 3 s,  
 conseruae anthos 3 i. carnium cothonorum,  
 carnium passularum, anagridi an. 3 i. lique-  
 fiat saccharum cum aqua melissae, & tempere-  
 tur in mortario, fiat electuarium. De quo po-  
 teris uti manè & vesperi, ad quantitatem v-  
 nus castaneae masticado in ore narib. clausis.

### Vnguentum.

Rec. radicis aperi, ruthe, lingue bouinae,  
 radi



radicis Valeriana<sup>e</sup> an. 3 iij, siccentur, deinde  
 recipe succi eufragia, gallitricis, Verberna an.  
 3. iij. colentur. Deinde recipe anacardi 3 i,  
 sticados, lingua caris an. 3 i, s pulverisentur  
 & misceantur cum pinguedine urfi prius li-  
 quefacta, & incorporentur, fiat unguentum,  
 de quo prius unge tempora & frontem post  
 lotionem. Deinde partem mediam postme-  
 moralem, & ungetur ter aut quater in toto  
 anno, vel medio.

## Aphorismi.

Corpus teneatur mundum à superfluis  
 ventris, adsit beneficium, si non naturale,  
 saltem artificiale. Abstineat memorans à  
 cibis multum salitis, carnibus salsis, fumidis,  
 grossis & difficilis digestionis, allia, cepe, & o-  
 mnia legumina vitet. Vitet cibos generantes  
 materiam flegmaticam, viscosam, ut carnes  
 porcinas, aues aquaticas, & pisces viscosos

Vina fortia, potus grossus & acetosa vi-  
 tentur, vitetur & nimius coitus, vitentur &  
 affectus, ira, mœror, tristitia, cura, sollicitudi-  
 nes.

## Iuuamenta.

Semen gallitricis comestum excitat memo-  
 riam. *Herbar. Lib. 5*

Fri



Fricatio capitis panno lineo & calido prodest.  
 Buglossa quocunq; modo sumatur valet.  
 Zinziber conditum bis in hebdomada ieiuno  
 stomacho ad quantitatem castaneæ sum-  
 ptum.

Confectio Anacardina semel in Hebdomada  
 manè ad quantitatem ciceris sumpti plu-  
 rimum iuuat.

Oleum Philosophorum occipitio inuncto re-  
 parat memoriam.

Nihil salubrius Theriaca in fouendis conser-  
 uandisq; membris, viribus, spiritibus, atq;  
 ingenijs.

Sapè recordari medicamine fortius omni.

His versibus poteris mandare memorie  
 omnia Euangelia Domini-  
 calia.

### Hyemalia.

· 21	∴	21	· 11	∴	1	∴	2
Castellum,	signa,	vinclis,	vox,	Anna,			
∴	2						

remansit.

Hydria



∴ 2 . 8 . 8 . 13 . 20 ∴ 8

Hydria, lepra, ratis, zizania, vinea, semer,

∴ 18 . 4 . 15 ∴ 11 ∴ 6 ∴ 8

Cruce, tentans, catuli, regnum, pisces, lapides,

. 21

laus

Aestiualia.

∴ 16 ∴ 20 ∴ 10 ∴ 16 ∴ 16 ∴ 16

Vinctio, pax, pastor, modicum, vado, pete,

∴ 15 & 16

pneuma.

∴ 14 ∴ 3 ∴ 16 ∴ 14 ∴ 15

Mansio, Nicodemus, diues, iuga, drachma,

∴ 6

misertus.

∴ 5 . 5 . 8 . 7 ∴ 16 ∴ 19

Rete, racha, panes, à falsis, villicus, & flens.

∴ 18 ∴ 7 ∴ 10 ∴ 17 . 6 ∴ 7

Phariseus, mutus, oculi, lepra, quærite, Nain,

∴ 14 . 22 . 9 . 22

Hydrops, mandatum, paralyticus, ecce pa-  
rani.

∴ 4 . 18 . 22 . 9 ∴ 6

Regulus, & seruus, Pharisei, filia, panes.

Canon



## Canon.

Si scire velis, quis Euangelistarum Euangelium dominicale describat, notabis hic iuxta numerum Euangelistarum, horum versuum dictionibus addita quaedam puncta minutula. Si unum offenderis, indicat Mattheum, si duo: Marcum, si tria: Lucam, si quatuor: Ioannem. Caput quoque Euangelistae cyphris annotatum inuenies sequentibus.

His versibus poteris quoque Epistolas Dominicales memoriae commendare.

## Hyemales.

Rom. I 3 Rom I 5. I. Cor. 4. Phil. 4. Gal 4.  
 Hora est, sunt scripta, Sic nos, gaudete, puellus.  
 Rom. I 2. Rom I 2. Roman. I 2. Rom. I 3. Col. 2.  
 Hostia, diuersis, prudentes, debita, sancti,  
 I. Cor. 9. 2 Cor. I I. I. Cor. I 3. 2. Cor. 6. I. Thes. 4.  
 Currunt, suffertis, linguas si, per arma, voluntas  
 Ephes 5. Galat. . . Hebr 9. Phil. 2.  
 Estote ut gnati, Latere, In sancta, rapinam.  
 Aesti-



## Aestiuales.

1 Cor. 5. 1 Io. 5. 1 Pet. 2. 1 Pet. 2. Iacob. 1.  
Fermentum, vine & passus, subiectio, donum.

Iac 1. 1 Pet 4. Act 2. Roman 11. 1. Io. 4.  
Factores, sobrii, lingua, iudicia, amorq.

1. Io. 3. 1. Pet 5. Roman 8. 1. Pet. 3.

Mirari, exaltet, condignæ, compatibles.

Rom. 6. Rom. 6. Ro. 8. 1. Cor 10. 1. Cor 12  
Qui baptizati, membra, Abba, ludere, gentes.

1. Cor. 15 2. Cor. 3. Galat. 3. Gal. 5. Galat. 6.

Mortuus, occidit, testamen, spiritus, alter.

Ephes. 3. Ephes. 4. 1. Corint 1. Ephes 4.  
Flecte genu, vincetus, pro vobis, sol super iram

Ephes. 5. Ephes. 6. Phil 1. Phil 3. Colos. 1.

Nō vino, arma Dei, qui cepit, flens, tenebrarū.

## Memoria chartarum.

2 3 7 9 6 5  
Cornu, āguis, tign 9, rapa, rex, concha, bacill 9

8 rusticus 8 Karnuffel \* vexillū.  
Farcimen, cultor, sertum, postpusio, signum.

Est viridis cordis, nola glandinis ordo colorū.  
i. vexillo

Sublato signo transilijse inuat,

Hoc est,

Vexillo sublato colorem transilies.

FINIS.

Bono



BONO ET ERVDITO  
 ADOLESCENTI CIRI-  
 ACO SPANGENBERGIO  
 D. Spangenbergij filio IOANNES  
 GIGAS Northu-  
 sanus.

**N**ate sequi docti vestigia sancta parentis,  
 O Iuuenis Clarium nate iuuare chorum,  
 Nate sequi patrem, cunctis enitere nervis,  
 Vt SPANGENBERGI filius esse queas.  
 Hoc est, sis vates & verbi præco salubris,  
 Præco DEI verbi & turba poëta sacra.  
 Turpe tibi fuerit, diuinum temnere munus,  
 Atq; tui vita degenerasse patris.  
 Teutona quem iactat tellus, quem vesper & ortus  
 Diligit, & dignis tollit ad astra modis.  
 Et citius trifidum iam viuunt scripta per orbem,  
 Scripta Medusato lecta relecta choro.  
 Maeste igitur suda, cæptoq; insiste labori,  
 Obq; oculos chari nomina pone patris.  
 Quodq; facis, rectis incumbere perge Camænis,  
 Ritè domi Musas, qui tibi monstret, habes.  
 Ardua conscendes Parnasi culmina montis,  
 Si tuus incepto puluere perget equus.

D

ACTUA



Ac tua Phœbeis cingentur tempora sertis,  
 • Et tibi erit sacra iustus in arte locus.  
 Vidi bicipiti ter tres in monte puellas,  
 Nectentes capiti florea ferta tuo.  
 Te Charites, te vota petunt communia vatum,  
 Te vocat ad studium Christus Apollo sacrum.  
 Tu modo nil fatui cures conuitia vulgi,  
 Quod, quia nil didicit, temnere cuncta solet.  
 Ire sinas alios vltra Garamantas & Indos,  
 Ac tutum in medijs vendere corpus aquis.  
 Tyndaridesq; alios finito implorare periclis,  
 Tu scribe innocuæ carmina mentis opus.  
 Rebus in humanis pereunt æs, purpura & aurum,  
 Culta Thalia manet nescia sola mori.  
 His valeas iuuenis cœlestibus edite musis,  
 His valeas nostro non abituro choro,  
 Ipse ego Pierie mansi quota portio turbe,  
 Et rempsi fauces pestis acerba tuas.  
 Cras cum discipulis Dresdam proficiscar ad urbem,  
 Quam iactat miris Albidos ora modis.  
 Intentus studijs illa remorabor in vrbe,  
 Dum flabit velis mollior aura meis.

SOLI DEO GLORIA.



ORGANON ELO-  
quentiæ,

Hoc est,

DE STUDIO, ME-  
MORIA ET IMITA-  
tione, nec non de loco & tempo-  
re studijs accommodato, commo-  
nefactiones aliquot vtilis, ex  
optimis Autoribus  
collectæ.

PETRO PRÆTORIO  
FRATRI SVO  
S. D.

**S**I quisquam est, qui præter alia, quæ  
summa sunt, hunc sibi quoque finem  
in vita propositum habet, ut ali-  
quam dicendi facultatem conse-  
quatur: Is meo arbitrato hæc tria ferè faci-  
at: Primum legat ordine & studiosè sapiētissi-  
mos ac disertiss. quosque omnium ætatū autores, &  
si quid inuenerit in eis notatu dignum, instar  
apiculæ sedulo colligat et diligenter obseruet.

D 2 Deiv



Deinde, crebra repetitione & assidua meditatione instillet ac imprimat menti, quae memoria digna ex varijs lectionibus observavit: Ita enim & rerum selectissimarum copia abundabit, & non sentiens exprimet illam orationis formam, quam mente concepit. Postremum est, ut stylum & vocem frequenter exerceat, hoc est, quotidie scribat vel dicat aliquid ad veterum imitationem, quod etiam posteri legant & admirentur. Quo vero pacto M. T. Cicero, & alij huius ordinis viri, cum singulari laude sint imitandi, vel nutu ostendam. Accipe insignem aliquam ab antiquitate sententiam, eandemque, qua poteris perspicuitate, quibusque verborum luminibus pingeatque exorna. Deinde si quas in promptu habes illustres verborum figuras, ad alias sententias accommoda, quasi ex una cere massa plures imagines, nec tamen eiusdem speciei, formans. Nam sumere integrum comprehensionis corpus, seu rem significatam unam cum verbis significantibus, eandemque orationi suae inferere, extremae dementiae, & Longolianum est.

Extant



*Extant ea de re loci & commonefactio-  
nes utilissima, cum in C. Plinij, & Fab. Quin-  
tiliani, tum verò in Pauli Manutij, prisca  
sapientia & eloquentia viri scriptis, quos in  
hoc fasciculo breuiter à me & quidem animi  
gratia collectos, cum paucis quibusdam alijs  
tibi dedico ac commendo Petre, quò eos sem-  
per in conspectu tuo habeas, ac subinde le-  
gas. Non enim dubium est mihi, quin si id-  
ipsum, quod te summi viri, meo quasi nomi-  
ne, facere iubent, in studijs tuis præstiteris,  
talis nobis sis aliquando futurus, qualem te es-  
se maximopere exoptamus. Benè vale. Ex  
noua Heliopoli, Calendis Nouembris.*

Stephanus Prætorius.

DE VEHEMENTI STU-  
DIO C. PLINII NATURAE  
Historiarum Scriptoris.

PLINIVS IVNIOR IN QVA-  
dam Epistola ad Macrum.

**M**iraris, quòd tot volumina, multaq; in  
his tam scrupulosa homo occupatus (sci-  
licet



licet auunculus meus Plinius) absoluerit. Sed  
 erat acre ingenium, incredibile studium, sū-  
 ma vigilantia. Lucubrare vulcanalibus inci-  
 piebat, non aussicandi causa, sed studendi,  
 æstate à nocte multa, hyeme verò ab hora  
 septima, vel cum tardissimè octava, sæpè sex-  
 ta. Erat sanè somni paratissimè, nonnun-  
 quam etiam inter ipsa studia instantis, & de-  
 ferentis. Ante lucem ibat ad Vespasianum  
 Imperatorem (nam ille quoq. noctibus uteba-  
 tur) inde ad delegatum sibi officium reuer-  
 sus domum, quod reliquum temporis, studijs  
 reddebat, post cibum sæpè, quem interdum le-  
 uem & facilem veterum more sumebat. Ae-  
 state, si quid otij, iacebat in sole, liber legeba-  
 tur, annotabat, excerpebatq. Nihil enim le-  
 git, quod non excerperet. Dicere etiã solebat,  
 nullum esse librum tam malum, ut non ali-  
 qua parte prodesset. Post solem plerumq. fri-  
 gida lauabatur, deinde gustabat, dormie-  
 batq. minimum. Mox quasi alio die stude-  
 bat in cœnæ tempus, super hãc liber legebatur,  
 annotabatur, & quidem cursim. Memini  
 quendam ex amicis, cum lector quaedam per-  
 peram



peram pronunciaſſet, reuocaffe & repeti cœ-  
giſſe, huic auunculum meum diſſiſſe, intel-  
lexeras? nempe cum ille annuiſſet, cur ergo  
reuocabas? decem amplius verſus hac tua  
interpellatione perdidimus, tanta erat par-  
ſimonia temporis.

Surgebat æſtate à cœna, luce, hyeme, in-  
tra primam noctis, & tanquam aliqua lege  
cogente. Hæc inter medios labores, urbisq; fre-  
mitum. In itinere, quaſi ſolutus cæteris curis,  
huic uni vacabat, allatus notarius cum libro  
& pugillaribus, cuius manus hyeme manicis  
muniebantur, vt ne cœli quidem aſperitas  
vllum ſtudiij tempus eriperet, qua ex cauſa  
Romæ quoq; ſella vehebatur. Repeto me cor-  
reptum ab eo cum ambularem, poteras, in-  
quit, has horas non perdere. Nam perire  
omne tempus arbitrabatur, quod ſtudijs non  
impertiretur.

Hac intentione tot iſta volumina pere-  
git, electorumq; commentarios centum ſexa-  
ginta mihi reliquit, Opistoſtographos quidem,  
& minutiffimè ſcriptos.

D E



## II.

## DE MEMORIA.

*Vt scribere pueros, plurimumq; esse in hoc opere planè velim: sic ediscere electos ex Orationibus, vel historijs, aliouè genere dignorum ea cura voluminum locos, multò magis suadeam. Nam & exercebitur acrius memoria, aliena complectendo, quàm sua, & qui erunt in difficiliore huius generis labore versati, sine molestia, quæ ipsi composuerunt, iam familiarius animo suo affigent, & asuescent optimis, semperq; habebunt intra se quod imitentur. Etiam non sentientes formam orationis illam, quam mente penitus acceperint, expriment. Abundabunt autem copia verborum optimorum, & compositione, ac figuris iam non quæsitis, sed spontè ex reposito velut thesauro se offerentibus.*

## III.

## DE IMITATIONE.

P A V.



PAVLVS MANVTIVS IN  
Epistola quadam ad Stepba-  
num Saulium.

Qui se ita exercent, vt ex veterum scri-  
ptis, & membra, & integrum quandoq; cō-  
prehensionis corpus sua in scripta transferāt:  
non equidem eos reprehendo, siquidem per-  
fecti similitudinem quandam sequuntur,  
sed, quia perfectum ipsum non attingunt, in  
magna laude non posuerim.

Improbas igitur, inquires, si ab antiqui-  
tate scribentes mutuemur? Ego verò, si aptè  
fiat, etiam summè probo, sed hoc ipsum aptè,  
quàm difficile sit, ex eo licet cogitare, quod la-  
tinam linguam continet vniuersam: vniuer-  
sa enim sub imitationem cadit. Imitandi au-  
tem ratio, quia & multiplex est, & admo-  
dum recondita: primùm de ea præcipere sigil-  
latim, infinita doctrina est: deinde, quæ præ-  
cipiantur, cognoscere & perfectè exequi, non  
mediocris ingenij Cumq; id, quod enitet in  
oratione, aut in re videatur esse, aut in ver-

D 3 bis,



bis. Ego olim rem significatam simul cum ver-  
 bis significantibus sumebam, eamq; meis scri-  
 ptis cum inseruissem, tum optimum illud,  
 quod quaeritur imitando, plane arbitrabar me  
 esse consecutum. Postea cepit mihi meum cō-  
 siliū displicere: cogitavi, quoniam id es-  
 set memoria magis, quam ingenij, quod ego  
 efficerem, prestare multos posse, quod autem  
 multi possent, egregium non esse. Tum iniu-  
 rationem haud paulò difficiliorem, quam cū  
 paucissimis mihi esse communem intellige-  
 bam. Exquisitas sententias, de Cicerone ex-  
 cerptas, aut de Terentio, tacitus in animo  
 versabam, eas ornabam verbis quàm pote-  
 ram lectissimis, ut quasi vestitu orationis mu-  
 tato, cū eadem essent, alia tamen videren-  
 tur. Erat non dissimilis in verborum figuris cō-  
 mentatio. Si quas notaueram illustriores, ad  
 alias sententias ita traducebam, ut interdum  
 eandem locutionem in res propè innumera-  
 biles accommodans, quasi ex una cera plu-  
 res imagines, nec tamen eiusdem generis ef-  
 fingerem. In hac exercitatione quantum es-  
 set, utinam aut maturè cognouissem, aut se-  
 rò cogni-



rò cognitum, auidēq; arreptum vis occupationum nō extorsisset. Equidem, si quis me neget in scribendo quidquam esse, non pugna-  
bo: sed si quid sum, ab hac una esse conten-  
dam.

## IIII.

DE LOCO STUDIIS  
conuenienti.

Quintilianus lib. 10. cap. 3.

Secretum atq; liberum arbitris locum &  
quàm altissimum silentium scribentibus ma-  
ximè conuenire nemo dubitauerit. Non  
tamen protinus audiendi, qui credunt aptis-  
sima in hoc nemora sylvasque quòd illa cœli  
libertas, locorumque amœnitas sublimem  
animum & beatiorum spiritum parent.  
Mibi certè iucundus hic magis, quàm  
studiorum hortator videtur esse secessus.  
Nanq;



Namq̄ illa ipsa, quæ delectant, necesse est a-  
 uocent ab intentione operis destinati. Neq̄ e-  
 nim se bona fide in multa simul intendere a-  
 nimus totum potest, & quocumq̄ respexerit,  
 desinit intueri, quod propositum fuerat. Qua-  
 re sylvarum amœnitas & præterlabentia flu-  
 mina, & inspirantes ramis arborum aura, vo-  
 lucrumq̄ cantus, & ipsa latè circumspiciendi  
 libertas, ad se trahunt: ut mihi remittere po-  
 tius voluptas ista videatur cogitationem, quã  
 intendere. Demosthenes melius, qui se in lo-  
 cum, ex quo nulla exaudiri vox nihilq̄ prospi-  
 ci posset, recondebat, ne aliud agere mentem  
 cogere oculi. Ideoq̄ lucubrantes, silentium  
 noctis, & clausum cubiculum, & lumen v-  
 num velut rectos maximè teneat.

## V.

DE TEMPORE MEDI-  
 tationibus apto.

Marsilius Ficinus, in libro de tuenda sa-  
 nitate Cap. 8.

Ex ijs, quæ hætenus à nobis disputata  
 sunt,



sunt, iam satis constat, oportune nos studia nostra exordiri, vel statim oriente sole, vel hora una saltem, vel duabus ad summum ante solis exortum. Sed antequam è lecto surgas, perfrica parumper suauiterq; palmis corpus totum primò, deinde caput unguibus, sed id paulò lenius. Cum è lecto surrexeris, noli subita lectioni meditationiq; prorsus incubere, sed saltem hora dimidium cuiuslibet expurgationi concedito, mox meditationi accingere diligenter, quam ad horam circiter unam pro viribus prorogabis. Deinde remittes parumper mentis intentionem, atq; interim eburneo pectine diligenter & moderatè pectes caput, à fronte ceruicem versus quadragies pectine ducto. Tum ceruicem panno asperiori perfrica, demum reuersus ad meditandum, duas insuper horas, aut saltem horam unam studio dedicato. Produci verò nonnunquam studia possunt, sed aliquanta interdum intermissione facta ad horam usq; meridianam. Quin etiam interdum, quamuis rarò, nisi cibum interim cogamur assumere, post meridi-

em



em circiter horas duas. Sol enim circa ortum potens est, potens & in medio cælo. In plaga quoq; illa cæli, quæ medium proximè sequitur, quam nonam Astronomi vocant, & sapientie domum, sol maximè gaudet. Quoniam verò Poëta omnes Phœbum Musarum scientiarumq; ducem esse volunt, meritò, si quid altius excogitandum est, his horis potissimum cogitetur. Si Musæ quærendæ, horis iisdem Phæbo duce quærentur. Reliquæ enim horæ veteribus alienisq; legendis potius quàm novis proprijsq; excogitandis accommodatæ videntur.

Semper autem meminisse debemus, quolibet hora semel saltem paulisper remittendam esse mentis intentionem. Cum enim ob intentionem huiusmodi spiritus resoluantur, meritò si nunquam cesses tendere lentus eris. Dum laboras animo, interim corpore conquiesce. Mala est defatigatio corporis, peior animi, utriusque pessima, contrarijs motibus hominem distrahens, vitamque disperdens.



*perdens. Deniq; haud ulterius meditatio  
procedat quàm voluptas, potius  
verò citra.*

F I N I S.



V V I T E B E R G Æ

*Matthæus VVelack excudebat.*



Item







Quintilianum consiliū de  
artificiali memoria.

vite mihi in orat iosa

lib 11

fol 62

n Cardan de occultis lib 13 mihi

fol 107. 113



Re: S. Calli. u. 7. 5.

Zarbari q: s: fiat  
pulvis.

Samon von Calli. u. u. u.


Lo H. Zank so viel  
genig sam. Mafz so zu  
pulvis.

(X 2396667)









LIBELLVS  
Artificioſæ memoriæ,  
IN V S V M S T V.  
DIOSORVM GOL.  
LECTVS,

*Autore*

Ioanne Spangenbergio  
apud Northuſos verbi  
Ministro.



ANNO 1588.

